DISSERTATIO
ANATOMICA
MUSCULORUM VARIETATES
SISTENS

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS JOSEPHUS SELS
NOVESIENSIS

D. DEC. M. MDCCCXV.

BEROLINI 1815.
TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

PATRI OPTIMO

JOANNI JOSEPHO SELS

ATQUE

PATRUO DILECTISSIMO

CLEMENTI ZENONI SELS

AMORIS AB IPSIS IN SE EXHIBITI

BENEFICIORUMQUE COLLATORUM
MEMOR

PIO ANIMO

D. D. D.

A U C T O R.

Varietatum partium corporis humani studium, harum tam examen repetitum quam solidam cognitionem poscens, maxime commendandum esse nemo inficias ibit. Nec defuerunt qui illis enumerandis operam navarent, cumque de musculorum varietatibus varii jam antea egerint, quae in theatro nostro *) et Landshutensi **) captae sunt observationes myologicae, qua partem valde rarae, ante duos et quod excurrit annos nobis traditae. Aliis vero postmodum tum a

*) Diss. musculorum varietates sistens praes. *C. A. Rudolphi* resp. *C. F. L. Gantzer*. Berol. 1813. 8. Nostra dissertatio varietates memorabiles annis 1813 ad 1815 in theatro anatomico Berolinensi observatas, illa autem casus annorum trium praecedentium continet.

**) Diss. nonnullas musculorum varietates exhibens praes. *F. Tiedemann* resp. *J. Duille*. Landshuti 1813. 8.

me observatis, quum a cel. *Rudolphi* mecum communicatis, argumentum dissertationis inauguralis haud spernendum illis mihi concessum esse laetor, opellamque meam lecturi benevole dijudicent, summopere rogo.

§ 1.

Omohyoideus.

Inter musculos maxime varios hic certe enumerandus est, cujus lusus plurimos auctores *) habent, aliis mox describendis augendos.

A. Omohyoideus in cadavere feminae adultae utrinque a lunula scapulae solito more exoriebatur, os hyoideum vero non petebat, sed mox ab origine sursum ductus sensimque magis elatus tandem epistrophaei processui transverso utrinque tendine tenui inserebatur. Nisi locus et forma alieni essent, pro levatore scapulae accessorio haberi potuisset; talis vero nobis saepe obvius factus

---

*) *Albinus*, *Soemmeringius*, *Rudolphius.*

semper loco solito (ad angulum scapulae posteriorem et superiorem) originem capit et levatori genuino neque omohyoideo similis est.

Hoc iu cadavere ergo loco omohyoidei *omoepistrophicus* aderat.

B. In adulti cadavere omohyoideus sinister consueto modo se habuit, dexter vero solito duplo latior a lunula scapulae exortus brevi in duos ventres divisus est, quorum alter transversim ad anteriora decurrens sternothyreoideo ope fibrarum tendinearum oblique expansarum addebatur, alter vero ratione vulgari os hyoideum petebat.

C. In tertio adulto cadavere omohyoideus sinister *) fere recte (neque oblique, uti solet) ab osse hyoideo descendens fibris muscularibus cum sternothyreoideo coibat, tum abscedens justo modo scapulam petiit.

D. Quarta tandem in feminae adultae

---

*) Dexter tam in hoc quam in casu insequente solito modo visus est.

cadavere observata est omohyoidei et quidem sinistri varietas, qui inferiori loco bifidus interiore majoreque parte claviculae lateri posteriori inserebatur, externa vero pro more scapulam adibat.

§ 2.

Accessorius ad digastricum.

In adulti sinistro latere *) ab angulo mandibulae et eo quidem loco, ubi interne pterygoidei interni insertio desinebat, musculus oriebatur gracilis, mox in tendinem filiformem abiens transversim mandibulae marginem inferiorem secutus, tandem vero prope hanc digastrici ventri anteriori interne immixtus est.

Longitudo totius musculi bipollicaris erat.

---

*) In dextro quidem latere res consueto more se habuit.

Casus hic et proxime insequens cel. *Knape* oblatus est, qui musculos recens praeparatos clar. *Rudolphio* dono dedit.

§ 3.

Petropharyngei stilopharyngeis additi.

In viri adulti cadavere musculi pharyngis consueti solito modo aderant, stylopharingeis autem novi addebantur, forma simillimi, parum tenuiores, qui ab ossis temporum parte petrosa ante marginem anteriorem foraminis externi canalis carotici exoriebantur et constrictori medio inserebantur.

§ 4.

Sternalis brutorum.

Musculum istum saepe varioque modo occurrere anatomicos haud fugit, *) varietates tamen nonnullas minus vulgares nuperque observatas afferre liceat.

A. In foetu recens nato femineo hemi-

---

*) Conf. Diss. *Gantzeri* citata p. 7. ubi alii etiam scriptores laudantur; praeterea cel. *Rosenmülleri* Programma de nonnullis c. h. varietatibus Lips 1804. 4. p. 5.

cephalo musculus dictus insignis magnitudinis offendebatur, ceterum solitarius et asymmetricus.

A sternocleidomastoidei sinistri tendine exortus cum pectoralis majoris sinistri parte sternali cohaerens oblique dextrorsum actus, carneus tertiae, quartae, quintae et sextae cartilagini intercostali et parti costarum illarum incumbebat quatuor ad quinque lineas latus, costis ceterum non adhaerens, tandemque tendini obliqui abdominis externi qua summam recti abdominalis vaginam constituit immixtus.

Quo exemplo refutantur, qui musculos accessorios ex laboris durioris genere proprio oriri hallucinati sunt.

B. In viri torosi dextro latere sternalis noster validus apparuit. Fibris quibusdam tendineis a tendine sternocleidomastoidei exortus, aliarum ope pectoralis parti sternali additus, descendens mox carneus factus est, et interiori latere tribus fasciculis totidem co-

stis inserebatur, exteriori vero tendini obliqui superioris rectum induenti addebatur.

C. Rarius in utroque latere occurrit. Talis tamen licet haud symmetricus in feminae non torosae cadavere visus est.

In sinistro scilicet latere sternothyreoidei tendo sternalis oblique dextrorsum descendens utrinque fibras pectoralis majoris colligebat, tunc carneus factus aliquot costis fasciculos addebat, qui illarum margini superiori inserti levatores costarum anteriores sistebant, dein aponeurosi obliqui abdominis externi immiscebatur.

In dextro latere loco inferiore ab ipso quidem sterno originem ducens cum pectoralium fibris non coibat, et recta via magis tamen sinistrorsum descendens, minus carneus ac sternalis sinistri lateris, costas non adibat, sed vaginam recti tantum petebat.

D. Rarissime utrinque aequalis et symmetricus occurrit, talem tamen semel et lepidissimum quidem in cadavere virili vidimus.

Singuli scilicet tendinei a singulis exor-

ti sternocleidomastoideis, infra claviculam mox ad se accedebant et pollicari longitudine iter ita pergebant, ut tendines interno latere sese tangerent, externo vero pectoralium fibras sternales transversales adnexas gererent; tum iterum discedebant, et singuli in ventrem carneum abibant tres fere pollices longum apice summo tenuissimum sensim tamen latiorem, tandem pollicem latitudine superantem, ut lato denique tendine vaginam recti abdominis ab obliquo externo enatam peterent.

§ 5.

Pectoralis major.

In corpore virili floridae aetatis et toroso, nautae scilicet febri nervosa extincti, uterque pectoralis varietatem obtulit valde singularem.

Infimus nimirum hujus musculi lacertus thoracicus tendinem communem non intrabat, sed retro musculum reliquum adscendebat et divisus altero fasciculo debiliore cutem axillae adibat, altero aliquot pollicum longitu-

dine carneo, dein fere aeque longa parte tendineo processum scapulae coracoideum petens, cum tendine coracobrachialis coaluit.

Varietas rarissima, illi tamen affinis, quam *Rudolphi* *) et *Tiedemann* **) viri cel. observarunt.

§ 6.

Latissimus dori.

A. In mulieris haud torosae brachio sinisto fibrae latissimi dorsi musculares summae (a vertebris dorsalibus exortae) fasciculum effingebant digiti minimi et longitudine et latitudine utentem, tendini communi haud additum, sed aponeurosi bicipitem tegenti insertum. Brachium dextrum in hoc uti et in casu insequente latissimum pro more comparatum exhibuit.

B. In alio cadavere pariter femineo consimilis latissimi fasciculus brachium sinistrum

---

*) Diss. *Gantzeri* p, 11.

**) Diss. cit. p. 9.

transversim percurrens pectorali majori additus hujus tendini immiscebatur. *)

§ 7.

Biceps brachii.

A. Musculus hicce quoties variet, ex eo concludere licet, quod Novembri mense anni 1814 inter quadraginta cadavera horum sex illum tricipitem obtulerunt.

In septimo quadriceps fuit, utroque capite accessorio infra deltoideum ex osse humeri enato.

B. Semel insolito modo triceps observatus fuit. Alias enim caput tertium a brachii osse oriundum ventri communi additur, in virilis autem cadaveris brachio dextro rem longe alienam offendimus. Lacertus scilicet musculi externus digiti minimi crassitiem fere aequans versus antibrachii flexuram a reliqua carne magis magisque separatus, demum liber

*) Similis observatio in *Gantzeri* diss. p. 18 exhibetur.

factus ante tendinem communem radii tuberculo inserendum descendens ipsi inserebatur radio.

§ 8.

Palmaris longus.

In cadaveris cujusdam virilis brachio utroque palmaris longus varietatem longe rarissimam, musculum scilicet lumbricalibus affinem sibi annexum, obtulit.

Dextro in brachio palmaris valde robustus, qua in tendinem abibat solitum, alium emisit accessorium, qui mox in musculum vertebatur, vere carneum, teretem, utrinque attenuatum, oblique ante abductorem digiti minimi ductum, tandemque ope tendinis tenuioris lateri interno phalangis primae illius digiti (simul cum ejusdem abductore) insertum.

In sinistro latere musculus hicce singularis ex ipsa palmaris carne exortus tendinem longissimum et tenuissimum obtulit, eodem ac in manu dextra loco desinentem.

§ 9.

Flexor carpi ulnaris.

In hominis adulti robusti brachio sinistro *) flexor carpi ulnaris duplex erat. Alter quidem solito more comparatus, alter inter hunc et palmarem longum a condylo ossis humeri interno exortus cum palmari et flexore digitorum sublimi summa parte cohaerens, carne quatuor cum dimidio pollices longa instructus in tendinem abiit aeque longum, prope os pisiforme cum musculo homonymo coalitum.

§ 10.

Flexor digitorum profundus.

A. Flexoris profundi **) pars ad indicem pertinens peculiarem sistebat musculum inter

---

*) Dextrum brachium examini casu subductum est. Confer obs. insequ.

**) Ejusdum brachii virilis, cujus flexor carpi ulnaris duplex in observatione praecedente descriptus sistitur.

reliquam illius carnem et flexorem pollicis longum ab ulna et ligamento interosseo exortum, suprema tantum parte obiter cum flexore profundo coalitum.

B. In duobus cadaveribus accessorii exigui observati sunt, qui a condylo ossis humeri interno oborti tendinis tenuis ope carni flexoris profundi mediae addebantur.

§ 11.

Lumbricales.

In viri adulti manu sinistra lumbricalis quartus digito annulari neque auriculari, inserebatur, quo fiebat, ut ille digitus duobus uteretur lumbricalibus.

§ 12.

Extensor carpi radicalis tertius.

In viri musculis mediocribus tantum utentis brachio dextro inter extensores carpi radiales solitos tertius multo gracilior, a condylo ossis humeri externo originem ducens cum extensore carpi longo primum cohae-

rens, mox hunc deserens, ventre quadripollicari in tendinem abeunte tenuem, filiformem, qui extensoris carpi radialis brevis tendinem secutus cum hoc ossi metacarpi digiti medii inserebatur.

§ 13.

Extensor digiti medii.

A. Indicator viri haud torosi in brachio sinistro dividebatur, ut duos sisteret musculos, indicatoris vulgaris volumen offerentis, quorum tendinum alter debito loco indici, digito medio alter eodem modo inserebantur. *)

B. Vidimus etiam extensorem digiti medii ab indicatore undique separatum.

§ 14.

Abductor pollicis longus.

In duobus cadaveribus abductorem pollicis longum tendine suo os metacarpi polli-

*) *Soemmerringius* vir summus similem casum refert.

cis transgredi et abductorem pollicis brevem petere observavimus, quo factum est, ut tendo abductoris longi abductorem brevem quasi ventrem oppositum teneret. *)

§ 15.

Adductor pollicis.

Hunc aliquoties, ubi a digito medio oritur, tantopere fissum observavimus, ut anterior illius pars transversum palmae sisteret plantae transverso simillimum; quid? quod in cadavere quodam portio ista transversa a digito quarto originem traxit.

§ 16.

Peroneus tertius.

In cadaveris muliebris utroque crure peroneus tertius desiderabatur, peroneus brevis autem perquam validus et forti tendine instructus occurrebat. Rarior sane casus neque a scriptoribus relatus.

*) Idem apud *Soemmeringium* legitur.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS ADJECTUM.

Ego, *Henricus Josephus Sels*, natus Novesii ad Rhenum anno millesimo septingentesimo nonagesimo primo, patre *Joanne Josepho Sels*, Pharmacopola illius oppidi, tenerae aetatis annos apud parentes peregi, simulque in Gymnasio urbis natalis primitias feci studiorum. Quibus absolutis cum juveni vitae futurae ratio atque munus eligenda mihi essent, arti medendi toto animo me consecravi. Ad futura studia ut mature jam me praepararem, apud patrem optimum arti pharmaceuticae operam navavi. Deinde, quanquam patria mea miserae sorti alienae dominationis succumbente, in Gallia ulteriore studia

prosequi debuissem, tamen, ut principiis solidioribus animus imbueretur. germanicam universitatem aliena longe superiorem Wurceburgum petii. Hic vero studiorum meorum ordinem ita disposui, ut a philosophicis paulatim ad medica transiens, sequentes audirem lectiones: botanicen chemiam, pharmaçologiam, physicen apud Ill. *Pickel* et *Heller*; anatomiam physiologiam, pathologiam apud Cel. *Döllinger*; therapiam, materiam medicam apud Exper. *Horsch* et *Friedreich*; chirurgiam et artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam apud Doct. *B.* et *El. de Siebold*; medicinam veterinariam apud Exper. *Ries*. Denique in nosocomio medico-chirurgico nec non obstetricio ducibus Cel. *B.* et *El. de Siebold* et *Friedreich* praxin exercui. Propter res patriae mutatas tunc in Gallia studiorum cursum absolvere coactus, Parisios profectus anno MDCCCII, lectionibus adfui Clariss. *Cuvier*, *Pinel*, *Hallé*, *Richerand*, *Dupuytrin* et cet. multaque nosocomia hujus urbis frequentavi. Bello tandem contra Gal-

los felicissime peracto, patriaque mea Germaniae reddita Berolinum urbem celeberrimam, musis prae ceteris dilectam, adire cupiebam, ut universitatis perillustris civium numerum acceptus, Virorum clarissimorum instructione fruerer, studiisque meis finem imponerem. Quantum tam in theoria quam praxi debeam praeceptoribus Illustr. *Hufeland*, *Rudolphi*, *Horn*, *Knape*, *Graefe*, hoc Virorum tantorum modestia verbis exprimere me prohibet. Cum vero jam tentamen atque examen absolvierim, nihil obstiturum spero, quominus gratiosa facultas medica doctoris medicinae et chirurgiae honores, quos observantissime ambio, benigniter mihi conferat.

THESES.

1. *Sanguis propria vi non promovetur.*
2. *Decussationi nervorum tanta vis non est ac vulgo praesumitur.*
3. *Ventriculus vomitu locum habente minime semper passivus est.*
4. *Gemelli (monstrose) coaliti uno ex puncto minime enati sunt, neque unicum foetum partibus duplicatis sistunt.*
5. *Rubeolae nil nisi varietatem scarlatinae sistunt.*
6. *Dysenteria simplex non idem est ac inflammatio.*
7. *Dysenteria rarissime contagiosa est.*
8. *Diagnosis inter arthritidem atque rheumatismum chronicum perquam difficilis est.*
9. *Inter optima remedia contra ascitidem paracenthesin censendam esse puto.*